

potest esse *continens*, nisi Deus det; sed hoc donum non omnibus datur; ergo stulte facit, qui continentiae se addicit, nesciens an hoc donum habeat; stultum enim est se obstringere ad id, quod nescit an possit implere.

R. Si hoc argumentum valeret, nemo etiam posset amplecti fidem Christi, nisi ante sciret se donum fidei et perseverantiae habere: nec quisquam posset jungi matrimonio, nisi sciret se donum continentiae conjugalis habere, quae non minus est donum Dei, quam continentia virginalis juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.*

R. Sicut auxilium amici dupliciter haberi potest, nimirum in actu primo, cum amicus est paratus ferre opem, si rogetur; et in actu secundo, cum reipsa juvat: ita donum continentiae dupliciter haberi potest in actu primo, seu in paratione divina, et in actu secundo. Omnes igitur qui cupiunt continere, habent donum continentiae in actu primo: Deus enim ex parte sua paratus est illos juvare, ut reipsa continentiam praestent; ac proinde in potestate illorum est habere donum continentiae in actu secundo, si ex parte sua collaborare, et idonea remedia adhibere voluerint; ut docet D. CHRYSOSTOMUS supra homilia 63. in Matthaeum, HIERONYMUS, in caput 19. Matthaei, AUGUSTINUS L. 6. Confessionum, cap. 11. in fine.

Remedia autem quae ex parte sua adhibere debent, potissimum sunt tria; *oratio, jejunium, et feminarum devotio*: cum enim tentationes carnis orientur vel ex suggestionem diaboli, vel ex redundantia cibi et potus, vel ex feminarum aspectu et consuetudine; contra primum adhibenda oratio, sub qua comprehendimus etiam Sacramentorum, praesertim sanctissimae Eucharistiae, usum: hoc enim est *frumentum electorum, et vinum gemmans virginis*, Zachariae 9. Contra secundum, jejunium. Contra tertium, vitatio aspectus et nimiae familiaritatis feminarum; quibus ex parte nostra adhibitis, non deerit donum continentiae in actu secundo, quo facili negotio continentiam praestemus.

CAPUT III.

DE GULA, EBRIETATE, ET LUXURIA.

Haec vitia virtutibus superiore capite expositis opponuntur; gula abstinentiae; ebrietas sobrietati; luxuria castitati.

DUBITATIO I.

QUID GULA, ET QUALE PECCATUM.

D. Thom. quest. 148.

138. Hoc nomen dupliciter accipitur: 1°. Generalius, ut etiam comprehendat inordinationem, quae contingit in potu: et hoc modo dividitur a quibusdam in *comessionem et ebrietatem*, tanquam in species; quarum

meminit Apostolus ad Romanos 13. *Non in comessionibus et ebrietatibus.* Puto tamen *comessionem* ibi amplius involvere, *κῶμος* enim (qua voce ibi utitur Apostolus) significat lascivam computationem cum impuro cantu, aliisque temulentis dictis et factis; ut ex scholiis Photii, Theophylacto, et aliis auctoribus Graecis constat. Hoc apud Latinos vocatur *comessatio*, non tam a comedendo, quam a *κωμάζειν*, quod est computationi lascivae deditum esse. 2°. Stricte, ut opponitur virtuti *abstinentiae* stricte acceptae: et hoc modo sicut abstinentia est virtus, quae facit nos moderate appetere et uti cibo, et potu non inebriante; ita *gula* est vitium in appetitione et usu delectationis cibi et potus debitum modum, id est, praescriptum rationis excedens.

Hoc autem fieri potest quinque modis, ut pulchre ostendit D. THOMAS art. 4. ex D. GREGORIO L. 30. Moralium c. 27. (al. 18. n. 60.) qui hoc versiculo continentur, *Præpropere, laute, nimis, ardentem, studiosam*. Nam excessus spectari potest vel circa ipsum cibum, qui huic homini non congruit, vel circa illius sumptionem. Circa cibum, vel ratione substantiae, vel qualitatis, vel quantitatis.

Ratione *substantiae* est excessus, cum appetuntur cibi pretiosiores, quam conveniat statui; ut si religiosus, contemptis aliis cibis, nolit comedere nisi perdicis, phasianos, ficedulas. Hoc insinuat per *laute*.

Ratione *qualitatis*; ut cum in condimentis et studio praeparandi est excessus: ut si nolit comedere, nisi multo saccharo, vel succis variis sit conditum: Hoc indicat *studiosam*.

Ratione *quantitatis*; cum nimium comeditur, id est, plus quam natura requirat: qui modus est frequentissimus.

Circa ipsam *sumptionem* potest esse excessus, vel ratione *modi*; ut si quis voraciter comedat, cibos non mansos devorando, sicut canes, et leones. Hoc significat *ardentem*.

Vel ratione *temporis*, debitum tempus praeveniendo; vel etiam saepius quam deceat comedendo. Quod indicat *praepropere*.

Differunt autem haec inordinationes specie, secundum D. THOMAM; unde etiam diversae in diversis reperiuntur: alii enim solum peccant in pretiositate ciborum, quia nihil illis sapit, nisi peregrinum et sumptuosum: alii in quantitate: alii in voracitate: alii in crebritate sumendi: alii in pluribus horum: alii in paucioribus. Expressit hos quinque modos D. GREGORIUS loco cit. his verbis: *Quinque modis nos gulae vitium tentat: aliquando namque indigentiae tempora praevinit: aliquando lautiores cibos quaerit: aliquando quae sumenda sunt, accuratius praeparari appetit: aliquando in ipsa quantitate sumendi, mensuram refectionis excedit: aliquando in ipso actu immensi desiderii aliquis peccat.*

139. *Petes*, Utrum his modis omnes gulae species contineantur; videntur enim esse aliqua aliae: nam qui comedit carnes tempore vetito, peccat peccato gulae; similiter qui comedit ante communionem: et tamen nullo horum modorum peccant. Idem videtur de illo qui loco indebito, v. g. in templo, vel in foro comedit; item qui cibis noxiis utitur; denique qui in carne humana, vel carbonibus, aliisque cibis execrandis delectatur.

R. Illas solas esse gulae species, quae constituuntur per circumstantias inducentes diversas inordinationes, oppositas virtuti abstinentiae. Tales autem

videntur esse solum quinque supradictæ, quia inordinatio, quam inducunt, non repugnat proprie alteri virtuti quam abstinentiæ. Circumstantiæ vero, quæ inducunt inordinationem repugnantem alteri virtuti, non constituunt speciem gulæ, sed alterius vitii, ad quod illa inordinatio per se pertinet; v. g. ex eo quod cibus sit noxius, non constituitur species gulæ; quia nocere naturæ suæ non est contra virtutem abstinentiæ sed contra charitatem sui. Unde in usu talis cibi non est alia inordinatio propria gulæ, quam quod cibus nimis ardentem appetatur, ita ut ex ejus affectu homo velit nocere valetudini. Itaque in casibus propositis non constituitur distincta species gulæ, sed inordinatio gulæ, quæ in illis reperitur, pertinet ad aliquem ex modis prædictis; etsi in quibusdam, alterius speciei malitia sit conjuncta.

Itaque in primo casu est species gulæ, quatenus comeditur *præpropere*, seu quia conveniens tempus utendi tali cibo prævenitur. Cajetanus respondens Martino refert ad primum modum, ubi cibus ratione substantiæ non congruit homini: sed hic revera congruit ratione substantiæ, sed solum ratione temporis non congruit; sicuti cum debitum tempus prævenitur.

In secundo similiter prævenitur tempus conveniens. Vel dicitur potius esse peccatum sacrilegii quam gulæ, quia non tam peccat tunc comedendo, quam volendo post cibum communicare.

In tertio casu, cum in loco incongruo, si id fiat affectu gulæ, ut quia non potest differre donec venerit domum, reducitur ad *præpropere*, vel *nimis ardentem*. Circumstantia autem loci illius non constituit speciem propriam gulæ, quia non inducit inordinationem contra abstinentiam, sed contra religionem vel modestiam.

De quarto, cum quis cibo notabiliter noxio utitur, jam dictum est.

In quinto non tam est vitium gulæ humanum, quam feritas belluina, prava consuetudine contracta, vel affectio morbida, aut belluinæ naturæ constitutio. Ex his fere solvas multas minutias, quas contra istos quinque modos objicit Martinus.

Utrum vero istæ inordinationes sint species ultimæ, ut vult Cajetanus; an alias sub se habeant, ut contendit Martinus, parvi est momenti, et nihil facit ad negotium morale.

140. Quod ad alteram partem dubitationis attinet, quale peccatum sit gula; dicendum est esse peccatum mortiferum, si quis in illa delectatione ultimum finem constituat. Hoc autem fieri potest tripliciter. 1º. Expresse; ut cum quis expresse seu in actu signato illam voluptatem summum esse bonum judicat, sicut olim Epicurei. 2º. Implicite; cum id quidem expresse non judicat, tamen erga illam sic afficitur, ut paratus sit propter illam omnia humana et divina jura violare. Tales sunt multi hoc tempore hæreseos ministri, qui sanam doctrinam et religionem propter ventrem adulterant, cauponantes verbum Dei: de qualibus dicit Apostolus ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est*. 3º. Interpretative; ut cum quis affectu gulæ paratus est non quidem quodvis, sed aliquod peccatum mortiferum admittere. Hic enim, etsi minus perfecte et proprie ponat ultimum finem in voluptate ciborum, quam secundus, qui omnia ad illam refert; tamen aliquo modo id convincitur facere: nam hoc ipso, quod mortifere peccat, Deum propter voluptatem deserit, et

hanc illi suo facto præponit: unde etiam de talibus dici potest; *quorum Deus venter est*. Sed de hoc plura 1. 2. quæst. 1. art. 5.

Porro tertius iste modus in multis casibus locum habet. *Primo*, quando propter gulæ voluptates aliquis furatur, vel iniquos contractus facit. *Secundo*, cum omittit id, ad quod ex præcepto divino tenebatur; ut si non solvat creditoribus ut opipare victitet. *Tertio*, quando violat jejunia Ecclesiæ, vescendo carnibus, vel sæpius comedendo. *Quarto*, quando ex gula gravem noxam infert valetudini, id advertens, vel saltem suspicans eventurum. Si nocuum non sit grave, erit solum peccatum veniale. *Quinto*, si cum scandalo proximi: unde Apostolus 1. Cor. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. *Sexto*, quando probabiliter timetur aliquod peccatum mortiferum, ex quantitate vel qualitate cibi sumpti committendum; ut si experientia nosset te inde ad turpia solere concitari et consentire. Si tamen omnino putares te satis firmum ad resistendum, et solius gulæ affectu vescereris, non esset mortiferum. Imò quando quis ex certo genere cibi aut potus putat se nocturnam pollutionem passurum, non peccat mortifere, si non eo fine utatur, nec sit ei periculum consensus in delectationem, ut post Navarrum et alios docet Toletus de septem peccatis mortalibus. c. 60. *Septimo*, si quis vesceretur carnibus humanis.

Numeratur etiam gula inter peccata capitalia, quia ex hoc vitio, tanquam radice, multa alia velut rami pullulant, quæ gulæ filiæ appellantur. Cibus enim et potus, circa quæ gula versatur, duplici ex causa trahunt affectum hominis, et maximi aestimantur. Primo, per se; quatenus sunt media necessaria conservandæ vitæ, quæ homini præ cæteris rebus est cara. Secundo, ratione voluptatis, quæ, quia est quædam felicitatis proprietas, etiam maxime appetitur. Hinc fit, ut horum causa homines plurima et facere et pati soleant; adeo ut totus fere labor humanæ vitæ ad cibum et potum referatur, juxta illud Ecclesiastæ 6. *Omnis labor hominis in ore ejus*.

141. D. GREGORIUS L. 31. c. 31. (al. 45. n. 88.) quinque gulæ filias recenset; quarum ratio sic accipi potest. Gula consistit in eo, quod immoderato usu cibi et potus superflua delectatio quæretur; ergo ea vitia inter filias gulæ numeranda sunt, quæ ex tali immodico usu nascuntur: porro ex immodico usu cibi et potus et superflua delectatione conjuncta, primum in intellectu nascitur *hebetudo mentis*; idque tum ratione vaporum, quibus cerebrum oppletur; tum quia affectus et imaginatio est tota in ollis et patinis, nec de aliis mentem cogitare sinit. Deinde in appetitu nascitur *inepta lætitia*, et alii motus animi, qui ad hanc referuntur. Cum enim mens hebetata non percipit altiora, et in voluptate illa magnum bonum imaginatur, exultat animus, tanquam partem quamdam felicitatis in cibo et potu adeptus, et exterius per risum et alia signa lætitiæ se effundit. Tertio, in ore parit *stultiloquium* et *scurrilitatem*. *Stultiloquium*, quia ratio cibi et potus suffusa vaporibus, et voluptati intenta, non considerat quid dicat, sed facile quidquid videtur jucundum effutit. *Scurrilitatem*, quia inepta lætitia excitat ad indecora vel turpia agenda vel dicenda, risus movendi causa. Denique in corpore parit *immunditiam*; tum quia ex saturitate nascuntur vitia carnis; tum quia gula sæpe parit vomitus, et alias superfluum fœdas excretiones. Vide D. THOM. q. 148. art. 6. Nec obstat quod idem a. 5. dicat ista vitia oriri ex gula secundum rationem

finis, cum potius videantur nasci ex ea secundum rationem causæ efficientis : quia etiamsi ista vitia per se non fiant propter gulam tanquam propter finem, ac proinde neque ut media, neque ut electiones mediorum ex ipsa sequantur; tamen eorum acceptatio et permissio, ex affectu gulæ sequitur : nam ex affectu voluptatis gulæ fit, ut quis paratus sit illa vitia in se permittere eaque acceptare, ut recte explicat Cajetanus.

DUBITATIO II.

QUID EBRIETAS, ET QUALE PECCATUM.

D. Thom. quest. 150.

142. *Ebrietas* dupliciter accipitur, ut notat D. THOMAS art. 1. 1^o. Pro defectu usus rationis, nimio potu inducto, unde dicitur quis *ebrius*; et sic non est peccatum proprie, sed peccati effectus. 2^o. Pro ipsa potatione, quæ hunc defectum efficit; sic est peccatum, et definiri potest hoc modo :

Ebrietas est excessus in potando causa voluptatis, usque ad violentam usum rationis privationem; vel sic: est violenta rationis interceptio per nimium potum, causa voluptatis assumptum.

Hæc definitio habet tres partes. Prima, *est excessus in potando*: sicut enim gula consistit in excessu in cibo et potu non inebriante; ita ebrietas in excessu vini, vel cujusvis alterius potus inebriantis. Hinc *ebrietas*, juxta D. THOMAM, dicta est quasi *extra briam*, quod debitam vini mensuram excedat. Unde dum quis odore lupuli salictarii, vel suffitu tabaci, vel opio, aliisque narcoticis privatur usu rationis, non est ebrietas; quia hoc non fit excessu potandi.

Secunda, *causa voluptatis*: si enim causa medicinæ, ex præscripto medicorum, non esset ebrietas, etiamsi usque ad interceptam mentem sumeretur, ut recte docet Cajetanus art. 2. ad 3. et in Summa verbo *Ebrietas*, Silvester verbo *Jejunium*, q. 3., Navarrus c. 23. n. 119. ut si in subito pestis terrore, aliis remediis æque commodis non suppetentibus, magnus haustus vini generosi sumatur; vel adversus venenum frigidum (ut opium, solanum, cicutam, hyoscyamum) aut contra cantharides magna vini copia bibenda, ex qua rationis usus sit impediendus, præscribatur; non enim est excessus respectu talis subjecti, et ad talem finem; neque causa delectationis gustus vel tactus, palati, vel oesophagi sumitur: unde non repugnat temperantiæ, quæ circa tales delectationes versatur. Ob eandem non peccat peccato gulæ, qui iudicio medicorum varia edulia inordinate et copiose ingerit, ad vomitionem movendam; quia neque ob delectationem id agitur, neque modus rationis respectu talis subjecti exceditur.

Tertia, *usque ad violentam*, etc. Dupliciter aufertur rationis usus, modo naturali, et violento: *naturali* per somnum; spiritibus animalibus in centrum retractis, et nervis sensoriis, qui in sensuum exteriorum organa terminantur, vapore quodam frigido occupatis. Hic modus a natura est institutus ad spirituum, et consequenter ad virium instaurationem: nam per quietem nulla fit dissipatio, et copiosa novorum spirituum generatio. *Violente* aufertur, quando tanta vaporum copia cerebrum implet, ut etiam in vigilia ratione uti non possit. Idem interdum accidit vel ex nimio spirituum fervore, ut in phrenitide; vel ex humore maligno, cerebrum per idiopathiam

assidue occupante, ut in melancholia primaria; vel ex vapore noxio, cerebrum per intervalla petente, ut in melancholia hypochondriaca.

143. Quod ad alteram partem attinet, dicendum est talem ebrietatem, si voluntaria sit, esse peccatum mortiferum. Ita D. THOMAS art. 2. quem omnes alii sequuntur. Est autem voluntaria, *primo*, directe, quando quis ebrietatem intendit. *Secundo*, indirecte, ut quando quidem expresse non cupit inebriari, sed tantum bibit, quantum potest, non curans an sequatur ebrietas, an non. Item quando advertit se inebriandum, si pergat potare, nihilominus non desistit.

Nunc probatur id esse peccatum mortiferum.

I. EX SCRIPTURIS, Proverb. 23. *Cui vœ? cuius patri vœ? cui ricæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? ubi breviter attinguntur mala, quæ ebrietas etiam in hac vita infert. Est igitur et ipsa grave malum in moribus. Ibidem, Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenderit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber; et sicut regulus venena diffundet: nimirum quia sicut illa venena sunt corpori lethifera, ita vinum in fine mortem æternam adferet animæ et corpori. Sequitur, Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa. Ubi significatur, ex multo vino sequi fornicationes et adulteria, maledicta et blasphemias, etc. Ecclesiastici 19. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos, id est, facient reprehensioni obnoxios. Et cap. 31. Vinum multum potatum, irritationem, et iram, et ruinas multas facit. Vide plura ibidem. Isaïæ 5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et ad potandum usque ad vesperam; et infra: Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem, quasi dicat, qui strenue incumbitis comotationibus; vœ autem in Scripturis passim comminationem damnationis æternæ significat. 1. ad Corinth. 6. Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Hic ebrietatem connumerat aliis vitiis mortiferis, et pari modo a regno excludere affirmat.*

Nec obstat, quod *ebriosus*, non ebrium, sed deditum ebrietati designet, ac proinde requirat consuetudinem; *ebriosus* enim dicitur non qui semel aut bis ebrius est, sed qui ebrietati est deditus: hoc, inquam, non obstat, quia græce est μέθυσος, quod ebrium significat, et idem valet ac μέθωσιν: unde sicut is, qui alia illa vitia vel semel commiserit, excludetur a regno, nisi poenitentiam egerit; ita etiam qui vel semel ebrius fuerit. Ad Galat. 5. *ebrietates* ponuntur inter opera carnis, quæ a regno Dei alienum reddunt.

II. EX PATRIBUS, D. AUGUSTIN. serm. 231. de tempore, (al. 294. in app.) sæpius dicit, per ebrietatem *perire animam, hominem Deo fieri inimicum, et reum in die iudicii*. Similia habent alii Patres, ut S. BASILIUS homil. in ebrietatem, D. AMBROSIIUS de Elia et jejunio cap. 14., S. CHRYSOST. homil. contra luxum et crapulam; et alii. Præterea D. AUGUSTINUS sermone illo citato sic ait: *Qui contra coalumniam et amicam suam ebrietatem loquentibus irascuntur, libera a nobis voce audiant; quia quicumque ebriosus poenitentiam de ipsa non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum*

profecto peribit; quia non mentitur Spiritus sanctus per Apostolum dicens, Neque ebriosi regnum Dei possidebunt. Deinde docet quomodo auxilium divinum sit ebrioso implorandum, ut eripiat de luto facis, et cloaca ebrietatis, nimirum dicendo totis animæ viribus cum Propheta: *Eripe me de luto, ut non inhæream, et; Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Et rationem subdens, cur ita illum vocet, addit: *Ebrietas enim quasi inferni puteus, quoscumque susceperit, nisi digna subvenerit penitentia, et emendatio fuerit subsequuta, ita fortiter sibi vindicat, ut eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo, ad castitatis vel sobrietatis lucem redire penitus non permittat.* Idem serm. 232. (al. 293. in app.) *Qui credit ebrietatem esse parvum peccatum; si se non emendaverit, et pro ipsa ebrietate penitentiam non egerit, cum adulteris et homicidis æterna illum pœna cruciabit.* Idque probat ex Apostolo, 1. Corinth. 9., ad Ephes. 5.

Dices: D. AUGUSTINUS serm. 41. de Sanctis, (al. 104. in app.) crimina enumerans capitalia, non ponit ebrietatem absolute, sed cum restrictione: *Ebrietas, inquit, si assidua sit, etc.* ubi videtur insinuare, si non sit assidua, sed rara, non esse peccatum mortiferum.

R. D. AUGUSTINUS solum enumerare ibi aliqua crimina capitalia, de quibus non poterat esse controversia apud populum: nam simili modo ponit iracundiam; *si longo tempore, inquit, teneatur iracundia; et tamen certum est, etiam brevem iracundiam, si plene sit voluntaria, et grave malum imprecetur, esse crimen capitale, seu mortiferum; vel certe, ut D. THOMAS art. 2. ait, addit illam restrictionem, ut indicet se loqui de ebrietate plene voluntaria: qui enim raro inebriantur, non videntur id voluntarie, sed præter mentem pati, nimirum ex eo quod ignorent vim potus, vel debitam mensuram, aut non advertant ebrietatis periculum.*

III. RATIONE 1^o. Quia se inebrians privat se violente, non solum usu rationis, sed etiam potestate propinqua utendi; impedimentum et veluti vinculum menti suæ injiciendo, ut etiam vigilans ratione uti nequeat, idque causa voluptatis: unde propter voluptatem se ad brutorum abjicit stoliditatem; hoc autem censetur maximum malum et gravis inordinatio; quia præcipuum bonum hominis, et quo a brutis distinguitur, est posse uti ratione, et sua omnia hac regula dirigere: quod valde ponderat D. BASILIUS, et alii Patres, ut infra dicemus. Confirmatur, quia si quis alteri hanc potestatem etiam ad aliquot horas eriperet, gravem inferret illi injuriam, et peccaret mortifere; ergo etiam qui sibi ipsi illam adimit.

Dices 1^o. Est dispar ratio, quia quisque cedere potest jure suo, et nemo sibi ipsi facit injuriam; sed non potest cedere jure alterius.

R. Etsi quisque possit cedere jure, quod habet ad usum rationis hic et nunc adhibendum; et ita possit se illo usu privare, dormiendo, vel nolendo mentem applicare; tamen non potest cedere jure, quod habet ad potestatem utendi: hujus enim non est dominus; sicut nec integritatis membrorum, aut sensuum. Unde non minus peccat dum sibi hanc potestatem eripit, quam dum alteri id facit: etsi enim non sit proprie injuria, dum sibi hanc potestatem adimit, cum non fiat nolenti; est tamen contra charitatem, et debitum custodiendi sui, et suæ naturalis integritatis.

Hinc patet responsio ad objectionem de somno: etsi enim somnus privet usum rationis, non tamen potestate propinqua utendi; quia relinquit organa

expedita, ut statim secuta vigilia mens possit ratione uti: ebrietas vero ita ligat et obsidet, ut etiam secuta vigilia, ratione uti nequeat. Accedit quod somnus est institutus in bonum naturæ, ut illa quiete vires tum sensitivæ, tum motivæ reficiantur, corpus roboretur, et officiis mentis instrumentum debitum, id est, spiritus animalis reparetur. Unde etiamsi usus rationis in somno tollatur; tamen hoc detrimentum multis commodis compensatur.

Dices 2^o. Suffitu peti seu tabaci tollitur violente potestas utendi ratione; similiter odore lupuli, si quis in eo cubet; et tamen in his non est peccatum mortiferum.

R. Illo suffitu non tolli potestatem utendi extra somnum, sicut per ebrietatem; sed solum in somno (qui modus est naturalis) sua facultate refrigerante et constringente inducendo soporem: est enim ex genere narcoticorum, sicut et hyoscyamus; unde etiamsi suffitus ille hauriatur causa voluptatis, quam Indi dicuntur in illo sapore percipere, non erit mortiferum. Odor lupuli turbat quidem caput, non tamen puto plane inebriare; si revera inebriaret, sicut ipse potus, putarem eodem modo vitandum; maxime quando nulla est in eo cubandi necessitas.

Probatur 2^o. Ebrietas multa alia gravia mala secum trahit, ob quæ merito grave crimen censi debet. *Primo*, facultates exhaurit, Proverb. c. 21. *Qui amat vinum et pingua non ditabitur; et cap. 23. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio.* Hinc sequitur gravis familiæ afflictio, liberorum neglectus, creditorum fraudatio, furta, latrocinia, etc.; ut quotidiana experientia docet.

Secundo, corpus fœdum, imbecillum et morbidum efficit: hinc enim est oculorum lippitudo, narium coryza, oris graveolentia, anima foetida, membra tremula; hinc capitis destillationes, tusses, fœdique screatus; hinc apoplexia, et paralysis membrorum, articulares morbi. D. CHRYSOSTOMUS homil. contra crapulam tomo 3. (Edit. vet.) *Oculi, nares, et os, coryza, muco et putredine, et his, quæ intus generantur cœnosis et impuris affectibus sunt plena: et ipsa carnis substantia laxior fit, quam naturæ proportio requirat, et foetida, ac inutilis, atque ad omne opus bonum inepta.* Confirmat similitudine: *Etenim et terra aquarum abundantie oppressa, innatum perdit calorem, perdit et suas vires, neque ad suum opus vel procreationem est idonea; hinc et incurabilibus et difficillimis implicatur morbis, tremoribus, palloribus, podagra, chiragra, et aliis pluribus, etc.* etc. addens, tanta esse illa mala, ut etiamsi nulla esset gehenna, nullumve aliud incommodum, merito propter illa ebrietas sit fugienda. D. AUGUSTINUS serm. 231. *Est in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio, et dolor capitis, suffusio vultus, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis stupor. In talibus impletur quod scriptum est: Cui vae, cui tumultus, cui iræ, cui rixæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? nonne his, qui morantur in vino, et student calicibus epotandis? Similia habet D. BASILIUS homil. in ebrietatem, circa medium, et S. AMBROSIIUS de Elia et jejuniis cap. 16.*

Tertio, reddit hominem ad bonum inutilem, nimirum non solum ad opera pietatis; sed etiam ad studia litterarum, ad politica, ad mechanica; denique ad omnem vitæ usum. Docet hoc pulcherrime D. AUGUSTINUS supra: *Quia, inquit, corpora nostra terrena sunt; quo modo pluvia nimium grandis*